



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Non iudicandum esse secundùm externam faciem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

330 Cap. XVI. *Eemplum piæ feminae,*

dam, quæ faciem externam malam habent,
intus tamen bona sunt, atque idcirco error
inest, si mala iudicentur; quantò magis,
quæ bonam habent faciem, non debent ma-
la iudicari?

§. V.

*Non indicandum esse secundum externam
faciem.*

Nemo nucem, nemo amygdalam emeret,
si eam de corticis duritie aut deformitate
æstimaret. De nucleo, de medulla res cen-
sate, qui *vultis iustum iudicium* indicart.
Nemo sibi plaudat de euidentia argumenti.
Quid euidentius fuerat, quām cernere fe-
minam furentem? & à Christo se se auerten-
tem? immò in eum oris phlegmata millies
& millies iaculantem? Et tamen sputa illa
non in Christum, sed in stygium hostem
destinabantur. Virtus, fortitudo, constan-
tia maxima fuit, quod à circumstantibus
crimen detestabile iudicabatur. Et si *vultis*
sacrum & certius exemplum, numquid ipsa

Matth. I. *Sacratissima Virgo Dei Mater*, *cum esset de-*
sponsata Ioseph, *antè quām conuenirent*, *in-*

uenta est in utero habens de Spiritu sancto?
Quas tunc non potuisset excitare tempesta-
tes Ioseph, *nisi iustus fuisset*, *atque ea pro-*
pter

pter illam traducere noluisset? Atque hæc quidem speciem habere videbantur, si quis secundum faciem duntaxat iudicare voluisset. Sunt, qui quæ reuera bona atque laude digna sunt, iudcij temeritate non verentur contaminare. Atque in primis talis est Satan fratrum suorum calumniator: qui audiens Dominum dicentem: *Numquid considerasti seruum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum?* Ad quæ hostis inuercundè (nam quem Deus laudauerat, laudari ab omnibus conueniebat) *Numquid, ait, Job frustra timeret Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, uniuersamq; substantiam per circuitum? extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Vides iudicium temerarium? quem Deus infligit, quis est qui condemnet? diabolus est talis, qui cùm opera Job improbare non possit, intentionem nititur vitiosam ostendere; eumq; non filiali, sed seruili timore duntaxat, ob bona temporalia timere, calumniatur.

§. VI.

Temerarijs indicij et si omnia sint plena, tamen ea esse contemnenda.

Heli